



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm Septem Franciscanorum: Danielis, Samuelis, Angeli, Domini Leonis, Nicolai & Hugolini à Saracenis occisorum anno 1221. Ex eo quod est apud Vnab. Pat. Laur. Sur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

Cui clauēs celi Christus dedit arbiter orbis:  
 Atque auro ac Tyrio deuotus vestijt ostro.  
 Quinetiam sublime crucis radiante metallo  
 Hic posuit tropheum: nec non & quatuor auro  
 Scribi Euangelij præcepit in ordine libros:  
 Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro.  
 Paschalis qui etiam solennia tempora cursus,  
 Catholici ad iustum correxit dogma Canonis,  
 Quem statuere Patres: dubioq; errore remoto,  
 Certa sua, genti ostendit moderamina ritus.  
 Inq; locis istis monachorum examina crebra  
 Colligit: ac monitis, cauitque regula Patrum  
 Sedulus instituit: multisq; domiq; forisq;  
 Iactatus nimium per tempora longa periculis,  
 Quindecies ternes postquam egit Episcopus an-  
 nos.  
 Transiit, & gaudens caelestia regna petiuit.  
 Dona Ihesu vt grex pastoris calle sequatur.

Quid eidem  
 contulerit.

Qua corre-  
 xit, & alia  
 que fecit.

Quantapaf-  
 sus.

Tempus obi-  
 tus eius.  
 Oratio.

## MARTYRIVM SEPTEM FRANCIS-

Vide Notat. canorum: Danielis, Samuelis, Angeli, Domini  
 C. Baron. ad Leonis, Nicolai & Hugolini à Saracenis occi-  
 Martyr sorum anno 1221. Ex eo quod est apud V nab.  
 Roman. Pat., Laur. SUR,

13. Octob.

Proficiscun-  
 tur ad Sara-  
 cenos.

**F**RATER Daniel Minister prouincia  
 Calabriae, vir admiranda sanctitate &  
 martyrio illustris, cum sex fratribus,  
 impetrata facultate ab Elia generali Ministro  
 beatissimi Patris Francisci Vicario, e Tuscia in  
 regionem Saracenorum Christi predicaturus  
 Eangelium profectus est, Cumque ad urbem  
 Septam



Septam prospero itinere peruenissent, triduo apud Pisanos mercatores, Genuenses & Massilienses strenuam diuini verbi operam nauarunt, in vico extra urbem Christianis mercatoribus assignato: vbi & sese inuicem mutuis sermonibus corroborarunt, ac sacrosanctis Confessionis & Eucharistiæ sacramentis ad rem præclare gerendam muniêrunt. Vesperi autem lotis sibi inuicem pedibus, in memoriã ineffabilis istius charitatis, qua præpotens rerum omnium Dominus antè agonem suum discipulorum suorum pedes lauare dignatus est, obfirmatis animis certamen pro Christi gloria subire constituerunt. Manè itaque Domini diei cinere capitibus imposito, fidenter in ciuitatem ingressi, palam Christum Iesum annunciare, & cunctis certam salutis viam indicare. Cumque in mediam vsque ciuitatem progressi, gentilium cæcitatem intrepidè arguerent, illi iniectis in eos manibus, furore & amentia bacchantes, ad Regem suum eos protraxerunt, conuicijs interim non modo onerates ac proscindentes, sed impositis plagis haud leuibus ad necem petentes.

*Palam illis  
predicant  
Christum.*

*Malè tractā-  
tur ab eis.*

Porro Rex conspicatus rafa capita & horrida vestimenta, ratus eos cerebro laborare, victos iussit octiduo custodiri, & eorum constantiam varijs afflictionibus tentari. Octauo vero die productos in suum conspectum, cum promissis & blanditijs, tum minis ad Saracenum impietatem inuitauit. Illis verò nefarium hoc scelus execratis, & cōstanter asserentibus, in vno Christo Iesu tantū, veram salutis rationē posita esse: Iudex Arbaldus ira inflāma-

*Promissis &  
minis ten-  
tantur.*



tus: Quid tu, inquit ad Danielem ministrū, hominum omnium stultissime, ita & in presentem & futuram tuis perniciem? Cui beatus Daniel, sublatis in cælum oculis respondit: ò inueterate dierum malorum, tu potius reuerrere ad vnum & verum Deum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui hucusq; malè deceptus & euerfus fuisti errorib. saranae, & maledicti prophetae tui Mahometis. Tum Iudex ille, ira vehementius excādescens, districtos iussit in eos vibrari enses, vt eo terrore fracti fidem desererent. At illi, nihil ijs minis commoti, obfirmato in sententia animo perfitere immobiles, suamq; fidem disertis verbis confirmantes à furente Iudice capitis damnati sunt.

*Damnantur  
capitis.*

Tum fratres ad pedes Danielis Ministri prolapsi, fuso lachrymarum imbre, gratias Deo egerunt, quod ad percipiendam martyrij palmam perducti essent. Indè patris Danielis benedictionem flagitantes, peramanter admodū & piè ab illo exosculati sunt, adeoque ad martyrij certamen subeundum roborati; vt ducti in aulam Regis, indeq; nudi rursus educti, gaudentes incederent, tanta cum animi alacritate perindè ac si ad opiparum essent inuitati conuiuium. Vbi autem ad supplicij locum ventum est, submissis ceruicibus, suas Domino animas commendantes, capitis amputatione martyrij coronas adepti sunt. Sacra autem illa capita cōminuta, & corpora à pueris & Saracenis miserè discerpta sunt. Postea verò à Christianis collecta, Alfonso degez honorificè tumulata sunt: quæ postmodum Lusitaniae Regis filius magni beneficij loco recipiens in Hispaniam transtu-

*Eunt iucun-  
dis animis  
ad mortem.*

*Pleffuntur*



lit: vbi gloriosa eorum merita crebris miraculis egregie coruscant.

MARTYRIUM S. CALIXTI PAPAE, & Sociorum eius : Ex eo quod est apud V. P. Laur. Surium: Passus est anno Domini 226. Iuliano & Crisp. Coss. Cum sedisset annos 5. mensi 1. & dies 12.

Vide Tom. 2. Annal. G. Baron. & Notat. in Martyrol. Roman.

TEMPORIBVS a Alexandri Imperatoris, misso diuinitus incendio pars Capitolij concremata est, & intra Iouis templum, sinistra aureæ statuæ ipsius Iouis, in liquorem humi resoluta. Ea re permoti aruspices & sacerdotes ad Imperatorem Alexandrū venire, vt irata deorum, quemadmodū ei persuadebant, numina sacrificijs & odoribus placari curaret. Annuit ille petitioni eorum, iussitque augusta & splendida admodum instrui sacrificia, quibus sacerdotes, pro voto, dijs satisfacerent. Illi verò die Iouis manè, aère mirè sereno, fanum ingressi, inter sacrificia (erāt vero quatuor numero) fulmine cœlitus eiecto, miserè extincti sunt: araque Iouis incendio absumpta; nubilus ac tenebricosus repente aër Romanam plebem extrà Urbis muros in effusam fugam cōpulit, & animos omnium ingenti terrore cōpleuit. Cumque huc illuc vagabundi discurrerent, quidā trans Tyberim in urbē Rauenatiū delati, audierunt in quodā templi cœnaculo psallentiū multitudinem Christianorum: inter quos Calixtus vrbis Episcop⁹ cū suo Clero fuisse perhibetur. Quod, quidam Consulū Palmatus nomine, simulac̄ intellexit, cōfessum

14. Octob. a Anno eius Imperij 3.

Idolorum sacerdotum caelesti fulmine occiduntur.